

6-
I. N. T.
Dissertationem Inauguralem,

DE
MARO,

175

Venia Experient. Facult. Medicæ,
In Reg. Acad. Upsaliensi,

PRÆSIDE

Viro Nobiliss. atque Generoso,

D: NO DOCT. CAROLO
V. LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.
PROF. R. O. ACAD. PETROPOL. IMPER. N. C. PARIS. HOLM. UPS.
LOND. ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB.
NIDROS. CELS. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO.

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

Publicæ Ventilationi Offert

AUCTOR

JOH. ADOLPH. DAHLGREN EBBESSON,

Norrcopia Ostro-Gothus.

Medicus per Savolaxiam Provincialis Ordin.

Reg. Coll. Med. Membrum.

In Audit. Carol. Maj. D. 3. Dec. 1774.

Horis a. & p. m. solitis,

UPSALIÆ.

Typis EDMANNIANIS.

MARION

FRASIER

THE DOG CAROL

Y. LINNIE

JOHN ALBERT JARVIS

D. D.

§. I.

MEDICI scientis prudentisque ideam, vix ac ne vix quidem animo fixeris iustam, nisi & *Morborum*, quibus vexatur corpus humanum multiplicium, & *Remediorum*, datis morbis rite applicandorum, cognitionem ipsi gnaram commendaveris; qua desiderata, praixin inchoaturus, nubem pro Junone sectatur, crassis sane circumfusus tenebris.

Quod quum ita sit; hasce Medicinæ partes, dignitate & necessitate pari excellentes, æquali etiam cura excultas ac perpolitatas esse, facile simul quisquam crediderit; secus vero se rem habere, certo certius constat.

In illustranda enim Scientia, *Diagnosin* spectante morborum, artis nostræ Principes summi desudarunt; *genericos* reddiderunt characteres, ab externis & perspicuis signis desumptos; *species*, ad sua quæque genera retulerunt, secundum *causas* quas agnoscunt *procataréticas*; quæ quidem determinatio specierum ex causis petita, res est, adhuc altioris indaginis; cui vero, ut sedulo navarent operam, machaoniæ artis Alumni, vehementer optarem.

Sed vel sponte patet; *Physiologiam*, fundamentis Anatomicis superstructam, ut & solidam cognitionem, eorum omnium, quæ in humanum corpus agunt, heic imprimis principatum tenere.

Doctrina vero, de *Medicamentorum* viribus disquirendis, eruendis, & secundum Qualitates cognitatas agentibus, mirum quantum, neglecta est; usque adeo enim, increvit in officinis prostantium, e vegetabilium cohorte, collecta simplicium farrago iners & onerosa, ut in votis esset, quod selectæ plantæ tantum in usum voca-

rentur a Medicis; & sic sensim ex Pharmacopoliis, quæ vix ullius sunt efficaciam, exulerent. Hinc eminet *Materia medica* peritia; nam vel pleno, ut ajunt, fluit alveo, optimum & in Theoria versatissimum medicum, ne quidquam efficere in debellandis morbis, nisi imbutus fuerit notitia remediorum simplicium; qua destitutus, miles inermis hosti se objicit.

Vastissimo ergo Medicinæ campo se committentibus persuasum volo, ut licet ad Academias diutius morari, jam amplius non arriserit; tamen in absolvendo cursu, Anatomiam & Pathologiam non unice inhiant; & ut mos apud eos obtinet, Materiam Medicam flocci facere, *causam*

Qui vero ad hanc tendunt metam, perspectissima habeant omnia, quæ viribus plantarum, in usum medicum vocatarum, illustrandis, inserviunt; utpote ex scientia naturali, *nomen, affinitatem, locum natale* &c. ex ordine naturali, odore & sapore, *qualitates*, & hisce datis, *vires*, sub eadem vocare; nec non, in qua *specie* generis morbi cujusdam, efficax se præbuit medicamentum quod in subsidium esse iusserunt; probe notare.

Hujus autem ultimi, obliti sæpius fuere Authores in Materia Medica celebratissimi; unde, meo quidem iudicio, prona suppetit ratio, cur vel, de Eorum assertis dubitemus; vel vim remedii pernegemus; adeoque, cum in quovis morbo remedium fuerit præstans, & alio tempore eodem fini non satisfecit, susque deque habitum fuit. Inprimis tamen scitu necessarias duco plantas, quibus suis in quibusque classibus, non derogandus est locus primarius, ut inter *Amara*, China, inter *Mucosa*, Althæa, *Pingvia*, Oleum, *Tetra*, Opium, *Ambrosiaca* Mofchus, &c.

Cum ergo, in conscribenda Dissertatione Inaugurali, quid novi, aut magni, aliis in Medicinæ partibus præ-

præstare non valui; haud displiciturum fore judicavi, si de *Maro vero*, planta quidem antea cognita, non tamen usu quotidiano ac fas esset recepta, dixerim; etiam quemque vires decet suas noscere.

Si opella hacce, qua tali, ansam dedero Medicis, efficacissimam herbam, qua nulla major adhuc nobis est ex Classe *Spirantium*, penitus noscendi; & in posterum cum delectamento, ejus vim *Analepticam* experiri; vortorum sane redderem compos; & metam propositam hæc tetigisse, ex intimis lætarer.

§. II. NOMEN &c.

Antiquissimis retro temporibus, prorsus ignota fuerit hæc planta, & minoris æstimata; tamen in recentioribus seculis, multa multi de illa scripserunt; ut *Dodonæus*, *Charas*, *Wedelius*, &c. de NOMINE ejus licet nunquam consentiant.

Quidam secundum *Maronem*, Regem nescio quem; vel Latinorum Poëtarum principem; aut Bachi aliquem socium, eam denominatam esse, dicunt.

Alii iterum, ex Arabum *marmabus*; Hæbreorum *mar*; Græcorum *maron*; ob amaritiam *Mari* insignem, nomen derivare, conantur.

Ab Hesychio *Marum*; Salmasio *Amaracum*; Dodonæo *Marum vulgare*; Dioscoride *σοῦβειον*; Recentioribus *Marum syriacum*, l. *verum*; & ab Johanne Bauhino *Marum Cortusi* appellatur. Cortusus autem quondam Bot. Prof. Patavinus, & primus plantam J. Bauhino ostentavit, unde Cortusi nomen fert. Apud Pharmaceuticos sub titulo *Mari veri*, occurrit.

Cum jam Ipse C. Bauhinus, sui ævi Princeps Botanicus, obscure admodum de *Maro* Scripsit, non miror,
in

in tradendis **SYNONYMIS**, authores deinde dissentientes fuisse; aliqui enim statuerunt esse *Tragoriganum latifolium*, *Baub. pin. p. 223*; iterum alii cum *Boerhaavio*, *Majoranam syriacam* l. *creticam*, *Baub. pin. p. 224*; idem cum *Maro* esse credunt; sed has mittamus rixas, & quæ in *Marum* quadrant, optima **SYNONYMA** tradamus.

Marum Cortusi, *Baub. pist. 3. p. 242.*

Chamædrys incana maritima frutescens, foliis lanceolatis, *Tournef. Inst. p. 205.*

Marum syriacum, l. creticum: *Boerhaav. Lgdb. p. 182.*

Marum syriacum, *Dal. Pharmac. 156.*

Marum verum, cortusi, *Geoffr. mat. med. t. III. p. 821.*

Teucrium marum, foliis integerrimis ovatis acutis petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis secundis; *syft. Nat. XIII. p. 439. Mantiss. p. 409. Mat. Med. p. 285.*

FIGURAM, cujus ope facillime ejus faciem videri posset, aptam non dari, est quod vehementer queror; inter optimas vero numero quam habet *Rivinus*; *monepet. irreg. Pseudomarum. p. 13. edit. nostr.* De cætero, *dissertationem Wedelianam* respondente *Hermanno quodam, Jenæ 1703 habitam de Maro*, si cuinam plura arriserit scire, ut adeat & evolvet, enixe rogo; quam etiam dissertationem intellectam semper voluerimus, cum citationes aliquæ, *Wedelio* dicatæ, hocce in opusculo, occurrerint. a)

§. III.

a) Cavendum, ne hæc herba confundatur cum *Masticina* vulgo dicta, quæ diversissima est planta; quamvis facie, demta fructificatione, simillima; dicta, in *syft. Nat. 453*; & *matitissa 413*; **THYMUS** Ma-

§. III. DESCRIPTIO.

RADIX fibrosa.

CAULIS fruticosus, bipedalis, pollicaris, rimosus, distortus; varie ramosus: *Ramis* erectis, filiformibus, variae longitudinis, tenellis, cinerascens.

FOLIA opposita, brevissime petiolata, ovata, ocuta, integerrima, margine reflexa, subvirescentia; (atomis oculo nudo inconspicuis, cinerascens), subtus incana; (tomento vix conspicuo) ungvicularia, semper virentia, confertiora; in ramulorum axillarum rudimentis, minorum, plura.

RACEMI terminales, sessiles, solitarii, erecti, digitales.

FLORES oppositi, secundi; brevissime pedicellati; *bracteis* folio similibus.

CALYX *Perianthium*, monophyllum, tuberosum, pubescens, quinque-dentatum: *dentibus* acutis, erectis, subaequalibus; *tubo* sub basi gibbo. /ul

COROLLA monopetala, unilabiata, purpurea, *tubus* longitudine calycis, supra fissus; *Limbus* quasi bilabiatus; Labio *superiori* erecto bipartito ultra limbum, lanceolato; Labio *inferiori* trifido; *Lacinis* lateralibus, porrectis, oblongis, brevibus; Labio *intermedio* subrotundo, obtusissimo, concavo, integerrimo.

STAMINUM *Filamenta* quatuor, filiformia, erecta, purpurea, corolla altiora, approximata, inter fissuram corollae dorsalem prodeuntia; quorum duo, paullo longiora. *Antherae* subrotundae; antrorsum versae; *Pollinae* flavo.

PISTILLI *Germen* minimum, quadrifidum; *Stylus* filiformis,

stichina, floribus verticillatis, calycibus lanuginosis, dentibus setaceis villosis; odore & sapore Camphorae admodum affini; ad hanc pertinet Marum Raji Hist. p. 520. Dal. Pharm. 156 Marum verum syriacum Pharm. Wirt. 46. Marum Rivini Monop. irreg. p. 36 Ed. not.

mis, erectus, inter stamina positus; *Stigmata* duo, acuta: *superiori* erecto; *inferiori* extrorsum curvato.

PERICARPIUM nullum; *Calyx* immutatus.

SEMINA quatuor, calyce breviora, ovata, introrsum angulata, pubescentia.

§. IV. CLASSES

ad quas referatur apud systematicos, sequentes sunt:

CÆSALPINI	10 <i>Herbaceæ</i> , quaternis seminibus.	Ordo. 2.
MORISONI	14 <i>Galeatæ & Verticillatæ</i> .	3.
RAJI	14 <i>Verticillatæ</i> .	1.
HERMANNI	7 <i>Gymnotetraspermæ Verticillatæ</i> .	4.
BOERHAAVII	12 <i>Gymnotetraspermæ Verticillatæ</i> .	2.
RIVINI	11 <i>Irregulares Monopetali</i> .	4.
TOURNEFORTII	4 <i>Unilabiati</i> .	4.
MAGNOLII	3 <i>Calyce externo includente florem monopetalum</i> .	5.
LINNÆI	14 <i>Didynamia</i> .	1.

vix *Ordine Naturali* 42, ad VERTICILLATAS; quarum nullæ *Arbores*, pleræque *Suffrutices*, plurimæ *Herbaceæ*, sunt. Agunt in nervos secundum olidum volatile oleosum; & in fibras secundum amaritiam, pro gradu diverso. In Foliis & Floribus, medica virtus quærenda; in Radicibus autem vix manifesta vis adest.

§. V GENUS.

GENERE sub *Teucrii* militat Marum, cujus character genericus, G. Pl. 706 traditus, concinne & breviter ita fere sistitur:

CALYX *Perianthium* monophyllum, quinquedentatum, tubulosum.

COROLLA monopetala, bilabiata; labio superiori erecto, bipartito usque in tubum, ut fere nullo.

STAMINUM *Filamenta* didyma, inter fissuram labii superioris porrecta, erecta.

STYLUS *Stigmate* bifido.

SEMINA, quatuor, nuda.

Proprium constituere genus, e Maro, Boerhaavius conatus est; verum character non sufficiens est; e. gr. *Habitus fruticosus*; sed per plures species Teucris fruticosæ sunt.

Folia serpilli lanceolata; character vero non desumatur a fructificatione.

Flos Teucris unus ex singulis foliorum alis; id vero frequenter observatur in Teucris speciebus.

Odor acer, volatilis, a qualitatibus autem character non desumendus est.

§. VI. SPECIES.

SPECIEM tantum unicam Teucris, in Patria, Flora Nostra alit, *Scordium* loquor; plurimæ vero in G. D. Pr. *Spec. Plant.* enumeratæ, sufficienter distinguuntur, attendendo scilicet: ad

eas, quæ *caulem* habent *annuum*, aut *perennem* ut Marum hoc nostrum.

eas, quæ *axillas* proferunt *multifloras*, aut *unifloras* ut Marum nostrum.

eas, quæ *folia* possident *figura varia*; *crenata*: aut *ovata integerrima* ut in hoc Maro.

eas, quæ *foliis* gaudent *fissis*, vel *integris* ut etiam nostrum Marum. B eas



225, quæ *calycem* ferunt *bilabiatum*, aut *quinque dentatum*, ut habet *Marum*.

Differentia hinc inde emergit *Specifica*, quæ habetur in *Syst. Nat. XIII. p. 439.* & *Mant. 409.*

TEUCRIUM *Marum*, foliis integerrimis, ovatis, acutis petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis secundis.

§. VII. LOCUS &c.

Habitat *Marum* in SOLO calido, sicco, sabuloso, & duro. Per totam fere æstatem floribus luxuriat, sive in ollis, sive ad fenestras reponatur.

PATRIAM autem agnoscit *Hispaniæ* Provinciam *Valentinam*; etiam frequens est in *Insula una Stoebadum Pomponia* vocata, gallice *Portecroz*. In *Asia* ad *Cyzicum*; in *Creta*; *Ægypto*; *Syria*, & *Græcia*, ubi olim *Magnesia*; invenitur.

In plurimum esset votis, quod copiosior etiam redderetur **CULTURA**, hæc planta prænobilis, apud nostrates.

Scanie orientalis Clima, *Maro* esset convenientissimum; multiplicatur vero aut *feminibus*, aut *ramulis depactis*; inque terra *teneatur* prægnante; supra ventrem equinum; vel sub fenestris, uti *Melones* aluntur. In ollis conservatur per hiemem in frigidario, ne gradum congelationis sentiat.

Nec *lucris* causa, fefellerit spes, siquidem. *Uncia* foliorum, *Th. 4. cupr.* æquat, secundum *Taxam Holmiensem*. Cavendum vero probe a *Felibus*; odore enim iis pergrato, *Nepethæ* aut *Valerianæ* jucundiori, alliciuntur; ablandiuntur; lambunt, decerpunt, comedunt; quin saliva sua contaminare, eamque conterere, student; quod dudum *Joh. Bauhinus*, alique notarunt.

§. VIII. PRÆPARATA &c.

In *Officinis*, *Essentia* quidem *Mari* habetur, ast in usum rarius vocata, (nam male clausa,) virtulis sæpe expers est.

Conserva rarissime occurrit, ob defectum plantæ recentioris.

Oleum destillatum essenziale apud nos non obtinet, *Batavis* autem maxime petatum & familiare est.

Herba cum toto ut ajunt, in *Pharmacopoliis* prostat; sed *Folia* & *Flores* imprimis serventur, & vitreis vasis probe inclusa teneantur, ne volatile eorum perdatur, in hoc enim vertitur cardo rei, ut semper suo præstantissimo odore gaudeat *Marum*, si votis alias respondere usum voluerimus.

Pauperibus nimis esse pretiosam plantam, quisque objiceret; in promptu autem est responsio: nam & cultura uberior reddi potest; & ex *Europæ* regionibus meridionalibus, advehi nobis poterit, ubi serpilli instar apud nos, copiosissime crescit.

PRÆPARATA apud authores, e *Maro* varia occurrunt.

Ex foliis & summitatibus floridis, ope spiritus vini, *Aquam Reginæ Hungariæ* longe superans, spiritus odoratissimus elicitur. b). Sal volatile aromaticum, ex foliis, parari possit. c). *Oleum destillatum essenziale*, methodo eadem ac in destillando oleo juniperi ex bacis, aut *Menthæ* ex herba, acquiritur; distitante *Geoffroi*, qui etiam *Analysin Mari chemicam*, breviter hic loci traditam, ita sistit: ex foliorum & summitatum floridarum, lb. ii, Unc. iii, per retortam distillatavum, humoris limpidi, sub finem rufescentis: odore ac sapore pergrato, primum ob-

b) *Boerhaav. Lgdb. p. 262.*

c) *Quincy, Pharmac. extemp. & officinalis.*

seure acidi, deinde magis austeri, lb. i, Unc. viii, ʒif. gr. vi, humoris empyreumatici & salis ʒ, vis. gr. vi. humoris denique rufi, sale volatili urinoso imprægnati Unc. i. ʒ, vi. olei tum tenuis, quam erassi, Unc. is; prodire. Massa residuæ Unciæ iv, sal alcali drach. iii, gr. xx iv; dederunt. d) *Tberiacam*, *Trochiscos Hedyebroos Galeni & Aetii*, *Extractumque Marocostimum Mindereri*, nec non *Pillulas e Macro Pharm. Lond.*, Marum ingreditur; tam parva licet mole, ut nullo jure, utilitatem quamquam Maro tribuendam esse, existimaverim.

Interne Maro utimur forma *Pulveris*, *Pillularum*, *Electuarii*, aut *Infusi vinosi*; nunquam vero *Decocti*; sed in substantia potissimum; dosis a ʒ i. ad j, erit. *Oleum destillatum saccharo exceptum*, apud *Batavos*, summi est usus, ut *Geoffroi* habet; l. c.

Externe marum adhibeatur, in *cucuphis*, *fomentationibus*, *epithemate*, *suffimentis*, *capituluviis*, *unguentis nervinis*, & *pulvere nasali*, *Tabaci* instar sumto. *Oleum stillatitium* apud *Belgas*, ut *cephalicum* gratissimum, *capiti* applicetur, teste *Geoffroi*, l. c.

§. IX. QUALITATES

jam consideraturi erimus.

SAPOR amarus est, insigniter acris, seu pungens.

ODOR gratissimus, penetrantissimus, & sale abundans volatili; cui; nec ars, nec natura, simile dedit; fossis nimirum inter digitos contritis, naribusque admotis, odore aromatico, (rectius spirante) pungente, subtilissimo, æthereo, sale tanquam *Armoniacali*, ipsum afficitur cerebrum, ita ut *sternutationes* fere excitentur. e).

Ad

d) *Geoffroi*, *Mar. Med.* Tom. III. p. 822. & sq.
 e) *Boerhaav.* *Lgdb.* p. 262 *Geoffroi.* l. c.

Ad *Spirantes* ergo pertinet *Marum*, & quorum facile est princeps; f) odore enim gaudet fere *Thymi*, *Saturejæ*, *Rorismarini*, *Lavanduleque*; his autem longe antecedit; nec *Thymus Mastichina* odore suo camphorato, palmam *MARO* præripuerit; quamvis nomine *Mari* / *veri* venerit apud Authores, & nostrum, ab ipsis *Pseudomaram* vocatum fuerit. g).

Plantæ vero spirantes pleræque, ordine sunt *VERTICILLATÆ*, a *Ziziphora* usque in *Horminum* numeratæ.

Pollent autem plus minus, oleo essentiali, volatili, svaveolenti, (vasis difficillimè incarceratu,) quod ex olidis globosis pyxidibus, sub poris foliorum latitantibus, fumant; quodque fugax olens, in Nostro *MARO*, validissimum esse, quemquam inficias iturum non crediderim. b).

§. X. VIRES.

Ad *VIRES* a qualitatibus consequentia valet; ergo secundum *olidam* qualitatem, *Marum* in nervos adurum esse, facile quisque intelligat.

Analepticum summum est; & systema nervosum debilitatum, torpidum, languidumve excitat; namque vitam quasi inflat; flammulam vestalem inconspicua auget; luculamque vitalem serenando & roborando, vires suas exserit; & præstans est.

Ci-

f) *Clav. Medicinæ. G. D. Pr. p. 22.*

g) Folia mari chartam caruleam, rubro tinxisse colore; testatur *Gessroi, l. c.*

b) Apud Rajum *Hist. plant. 520* leguntur; *Deodatus in desperato mensium fluxu, ultimum & præsentissimum remedium ducit, pulverem corticis Mari cum vino austero, singulis matutinis horis propinatum; sed hoc per errorem irreplisse, sciat lector; & pro mari legendum esse mori: diversissimum medicamentum.*

Citissime vires refocillat vitales, ut *Cordiale* optimum; sicut enim *Cor*, causa sit princeps omnium illorum motuum, unde vires vitales aestimantur; systema autem nervosum causa sit primaria roboris *Cordis*, unde vis motrix ejus ab influxu nerveo dependeat; sic auxilia huic vitali indicationi satisfaciencia merito vocantur *Cordialia* aut *Cardiaca*; non mirum ergo, si Horum in numerum, Marum collocemus, jure quidem optimo; *ei nimirum inest diffusus odor suaveolens, lenis & unicuique tolerabilis.* i)

A nervis vero siquidem dependet, & cordis & viscerum activa vis; musculorum elasticitas: secretio & excretio; & solidorum robur; quodnam igitur haec omnia efficere valuerit, nisi *Nervinum* medicamentum? jam vero summum est nervinum, Marum nostrum; adeoque vel sponte patebit, *Diaphoreticum, Diureticum, Emmenagogum, Roborans* id esse; & in omni debilitate praestantissimum se praestare. Quo respectu etiam, si *Hoc*, & huic proximum *Cinnamomum*, exceperis; in tota quanta *Materia Medica*, vix majus remedium supersit; a *Maro* differt autem *Cinnamomum* eo, quod in febre noceat, aestumque in corpore augeat; Marum autem non ita.

Immo, dum Hannibal ante portas, & Medico opus est induciis; per usum hujus divini medicamenti spiritus exules revocare potest, posteaque castra movens contra hostem invasurum, arma idonea & optima adhibere.

Resolvens primum est itidem Marum; nam ut resolutionem fieri existimemus; cum per oscillationem ner-

VO-

i) Boerhaav. *Instit. Med.* p. 491.

vorum auctam, in fibribus muscularibus oriantur nixus & renixus; unde conquassetur, & quasi tenuis reddatur, stasis illa humorum inflammationi ortum debens, ita remedium huic inserviturum scopo, Maro aptius dari, quemquam inficiari, non putaverim.

Sapidam secundum qualitatem, minoris quidem æstimandum est Marum, in fibras tamen ut *amarum* agit *Tonici* instar; & in fluida, *balsamicum* est; insigni sua acredine etiam *incidit & stimulat*; ergo putredini resistit, bilem auget, stomachicum est; orexin juvat, secretiones urget, viscidum attenuat, lentorem tollit; quæque reliqua sunt.

Com igitur Cl. Wedelius, tanquam *analepticum, cordiale, vires refocillans, balsamicum, incidens errhinum, emmenagogum, carminativum, uterinum, diureticum, diaphoreticum, antasthmaticum, pectorale, immo polychrestum*, marum nostrum extollit; tamen justo majoribus encomiis & parasangis Eum laudasse hanc plantam, ut nimis festinanter autumat D:s Geoffroi, non crediderim.

Certe si accuratius, ad unguem ut dicunt, qualitates hujus plantæ peruestigaverint Medici, & inde ad vires concludere voluerint, dudum in frequentiori usu marum nostrum receptum esset.

§. XI. USUS.

Patere hinc arbitror, sua Marum non esse defraudandam laude in Morbis DEFECTIVIS & SOPOROSIS; scilicet *Langvore, Lipothymia, Paralyfi & Apoplexia*, præsertim a causa frigida, vel ubicunque denuum *debilitas virium vitalium* adest. *Epilepticis, Lethargicis, Hystericis, Chloriticis, & Hydrope Thoracis, Asthmate humido, Catarrho, scorbuto frigido, aut Cephalalgia habituali* laborantibus

maxime infervit. *In Memoria & Olfactus detectū & Vertigine senili*, non minus conducit *k)*. *Menstruis suppressis*, plerumque a debilitate ortis, imprimis Marum infervire, experientia docuit.

CASUS quosdam in illustrandam efficaciam Mari veri, afferre, hic loci haud ineptum, duco; utpote quid valeat hæc planta prænobilis, unicuique ob oculos ponatur.

Consiliarius quidam Regiæ Cancellariæ Septuagenarius, subito corripiebatur morbo gravi, & inter orci cancellos fere hærebat.)

Præsentes & Medici, de salute recuperanda desperantes, inertes fuerint spectatores. Pulsus tam debilis erat, ut vix percipi possit; nec æger loqui, nec se movere valebat; cum stertore respiratio peragebatur. Forma Electuarii jam Medicus quidam dedit, drachmam semis mari veri; quod quidem sine difficultate non deglutitum fuit. Tamen hoc assumpto, facilior evadit respiratio, oculos movebat æger, & pulsus multum augebatur.

Tribus præterlapsis horis, eandem assumpsit dosin, unde ita ad se rediit, ut in lecto sedens, locutus est. *est sic*

Die sequenti, iterum eodem usus est remedio; & postea per sesquiannum recte, prout tulerit effroeta senectus, valuit. Exaucto autem hoc temporis spatio, in eundem incidit morbum, apoplexiæ haud abfimilem, sopore excepto; idemque remedium in subsidium ductum, salutis ei fuit. Denique tertia vice, cum novos morbi insultus passus est, Medico ejus absente, e vita discessit.

Theologiæ Doctor quidam, doctrinæ exquisitissimæ; Asthmate angebatur suffocativo, ab Hydrope pectoris.

k) Boerhaavio, Geoffroi, Wedelioque testibus, l. c. & Aliis.



ris. Marum adhibitum efficit, ut, qui antea in lecto sedens, noctes ducere insomnes coactus fuerit, jam placide quiescere possit.

Judex Provincialis ætate provectus, eodem fere morbo cruciatus; variis incassum tentatis remediis, marum ex præscripto Medici cujusdam, sumsit. Proximo die, se nocturnum transegisse placidam optimeque valere narravit & formulam Medico demonstravit, cui ipse adscripsit: *probatum est.* Per duas deinde septimanas Maro, summo cum levamine usus est.

Vir secularis vereque doctus, cujusque obitum literatus orbis graviter conqueritur; complures per annos morbis conflictatus fuit chronicis, quibus tussis violentissima successit. Vires defecerunt & nihil excreare potuit; suffocationis metus sub unaquaque aggressione, aderat. Cum jam omnes consilii expertes essent; Marum Medicus propinavit ægro, & quidem illo cum successu, ut excreatione valde promota, ante finem diei sequentis tussis omnino cessaverit.

In paralyfi etiam, contemptui non habendum est Marum; licet nihil valuerit, cum extravasata materia ad spinam dorsi descendens, medullam omnino compresserit.

Famulus Illustris. Comitis & Senatoris Hård, qui post hæmoptysin ex pectore laborabat, jamque demum extremos, ut videbatur, ducebat spiritus.

Medico, qui abfuit, in urbem redeunte, urgebant adstantes, ut remedium aliquod fere agnonizanti præscriberet. Desperata licet res visa sit, tamen *ubi unica sit via salutis, eam tentare fas est;* Marum itaque forma mixturæ, ex officina Sahlbergiana petitum est; & prima dosis ægro porrecta per os elapsa, secundam tertiamve autem eo cum successu deglutiit, ut intra dimidium

dium horæ spatium erectus sedere potuerit & loqui; & quod omnem fere fidem superat, integre convaluit, per decennium & quod excurrit superperstes.

In Menstruis suppressis, marum cum martialibus nuptum, ipse quid valuerit, expertus sum.

Sudoribus nocturnis valde afflictatus fuerat Phthisicus quidam; marum vero cum conserva Cerefolii versus noctem sumtum, ad tussim leniendam, excreationem promovendam, & sudores debilitantes tollendos, certissime valuit.

Dolendum attamen, quod Marum, & reliqua spirantia, instar servi fugitivi Chemicorum, adeo volatilia sunt; eorumque effectus citius pereunt. /a

Plura ut taceam, etiam atque etiam Medicos rogatos volo, ut, quid efficiat Marum, ad vires vitæ augendas & sustentandas, experiantur; fidemque do, eos nunquam spe frustratum iri.

